

pereant. Ex verbo autem mercandi planum est, sermonem hic esse de cruenta morte Christi: ut judicari potest ex collatione 1. Cor. 6. v. 20. & cap. 7. v. 23. Apoc. 14. v. 3. & 4. acquisitione agitur, per quam re ipsa peculum, seu possessio Dei effici- mur, quæque proinde fidem in Christum exigit; juxta illud 1. Pet. 2. v. 10. *Vos estis gens sancta, genus electum, populus acquisitionis &c.*

Sic denique Rom. 8. v. 33. 34. dicitur quidem, *Christum pro electis esse mortuum &c.* At non (43) additur, pro his *solis*. Nam (44) & Joh. 15. dicitur Christus pro *amicis suis animam posuisse*. Nec tamen hinc sequitur, *pro solis amicis esse mortuum*: ut qui alibi etiam pro inimicis mortuus esse dicatur, Rom. 5 &c. Neque vero illic quolibet (45) modo pro cle-ctis mortuus esse dicitur; sed ita, ut etiam pro iisdem in caelo intercedat. Unde patet, hinc de morte Christi actualiter efficaci, hoc est, cum suo ve- ro effectu conjuncta, sive per fidem applicata, sermonem esse. Quo qui- dem sensu fateor, eandem ad *solos electos* (46) revera pertinere. Sed hinc non sequitur, Christum pro aliis nulla ratione, ne sufficienter quidem, *mortuum fuisse*: aut Deum velle, aut unquam voluisse, ut Christus pro nullis aliis mortem obiret, quam pro piis & electis, h. e. pro iis tantum, qui re ipsa fructum, sive effectum, mortis Christi ad salutem participant. Hæc igitur digna sunt, quæ amplius expendas.

43) *Etsi nō additur: tamen per tacitam antithesin si-gnificatur.*

44) *Non est par ratio: quis ibi non est talis antithesis.*

45) *Falsa expositio. Non in-dicatur ibi modus aliquis mortis Christi: sed diversi actus.*

46) *At hic falso exponis istud nomen. Electi enim in scriptura dicuntur qui à Deo electi sunt ad vitam eternam, sive jam credant, sive nondum credant.*

S E C T I O X X V I I .

Exspectatio, & dolor, an & quatenus Deo convenient.

Pag. 114. Thes. 28. Dolor Dei significat vehementem alicujus inexpectati eventus displicentiam, quæ tristem operis divini mutationem secum trahit.

N O T A P I S C A T O R I S .

Propriè loquendo 1. Deo nullus eventus *inexpectatus* accidit: quia omniscius est. Neque etiam *tristitia* 2. ex operis sui mutatione in eum cadit: quia summè sapiens est. Sed hæc tribuitur Deo per *ἀνθρωπονόδειαν*.

R E S P O N S I O V O R S T I I .

1. Si *exspectatio* boni alicujus eventus (1) rectè Deo tribuitur: certè 1) *Non est questio, an rectè:* negari non potest, *inexpectatum* quoque malum eventum eidem rectè sed, an propriè loquendo. tribui. Nam utriusq; contrarii eadem hinc ratio est: sicut ex ipsorum de-
scriptione patet. At illam (2) rectè Deo tribui, vel ex loco illo Esa. 5. v. 2. & seqq. satis apparet: ubi Deus ipse testatur, se quidem à populo suo ex-
spectasse uvas, hoc est, *justitiam*; sed labruscas tamen, hoc est, *injustitiam*, illic in-
venisse &c. Et similiter Apostolus ait (3) (1. Pet. 3. v. 10.) *patientiam Dei* 3) *Ibi quoq; eadem est ἀνθρωπονόδεια,*

NOTÆ PISCATORIS.

Non est questio, an rectè: Nam & qua per tropum

Deo in scriptura tribuuntur, rectè tribuuntur.

2) *Sed per ἀνθρωπονόδειαν.*